



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

15. Quid sentiendum de aliquibus Constitutionibus Iustiniani Imperatoris,
praesertim de Constitutione 3. 5. 6. 57. & 58, Ex p. 1. tractat. 2. resolut.
106. aliàs 105.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

RESOL. XV.

Quid sentiendum de aliquibus Constitutionibus Iustiniani imperatoris, præsertim de Constitutione 3.5.6.77. & 58? Ex part.1.tract.2.Ref.106.alia 105.

§.1. **A**D hoc dubium nouissimè respondet Tanner. in 1.2. D.T. bon. disput. 1. quæst. 4. dub. 1. num. 30. sic asserens: [Constitutiones Iustiniani de rebus Ecclesiasticis, quatenus quidem iustæ sunt, & legitima, non sunt leges, aut sanctiones Ecclesiasticæ, noui quidpiam ordinantes, præscribentes, aut definiens circa fidem, disciplinamque Ecclesiasticam; Sed sunt meræ executiones Canonum, iam ante in Conciliis legitime constitutorum, spectantes ad conseruationem, & securiorem eorumdem obseruationem.

2. Dixi tamen quatenus iustæ sunt: quia negari non potest, Iustinianum nonnulla etiam liberius præter ius, falsque sanxisse. In qua re quantum, & sibi ipsi, & toti imperio nocuerit, non obscure ostendit Baronius anno Christi 528. & anno 546. vbi breuiter ait, eum, dum dogmatibus Ecclesiasticis perscrutandis, plusquam decet Imperatori, curiosè vacaret; vniuersum pessum dedidisse Imperium.] Ita ille, & ante illum Azorius tom. 1. lib. 5. c. 20. Item leg. Iniquis igitur Iustiniani, & aliorum Principum secularium legibus circa personas, & causas Ecclesiasticas sancitis rectè communi iure derogatum esse constat. ex causa 11. q. 1. & cap. non minus de immunit. Eccles. & cap. quanquam de cens. in 6. cum Bulla Cœnæ.

RESOL. XVI.

Animaduertuntur aliqua in defensionem immunitatis Ecclesiasticæ.

Et inter diuersos casus discussos in textu huius Resolutionis queritur, an Episcopus habeat territorium in sua Diocesi? Ex part. 7. tract. 10. & Misc. 1. Ref. 3.

§.1. **N**Ouissimè Acacius Rippol vir quidem doctus edidit Tractatum de Regalibus, & in cap. 11. n. 1. & seq. se defendit de aliquibus opinionibus in causis Clericorum, quas ego aduersus illum olim notaueram; & adducit in sui defensionem Concordata inita cum Summo Pontifice. Rectè igitur ego dixi de iure illas opiniones non posse sustineri, quod verò in Catalonia deducantur in praxi, ratione Concordatorum, debebat Rippol hoc animaduertere: sed de ipsis me remitto veritati, nolo enim Regi meo aliquid iurisdictionis detrahare, sed multò magis Summo Pontifici.

2. Verum in defensionem Ecclesiasticæ immunitatis non deferam hic adnotare aliqua, quæ dictus Rippol asserit non admittenda, & primo in dicto c. 11. num. 14. docet possessionem, & vsus antiquissimum probare concessionem priuilegiorum Apostolicorum. Hæc quidem doctrina non est admittenda, & est perniciosissima, nam Principes possent se tueri iudicando Clericos, vel aliud faciendo contra Ecclesiasticam immunitatem, vt obseruat Marca de concordia Sacerd. & Imper. lib. 3. cap. 9. num. 6. & cap. 10. num. 2. asserendo habere Pontificium priuilegium, & in eius probationem adducere possessionem centenariam, vel immemorabilem, etiam si nullæ exhibeantur Priuilegij tabulæ. Sed hoc dicere est absurdum, nam omnes consuetudines immemorales contra Ecclesiasticam libertatem, damnatæ à Sacris Canonibus probarent Priuilegium Pontificium. Di-

co igitur cum Suarez in Regem Anglia lib. 4. cap. 34. num. 17. solam nudam consuetudinem etiam immemorabilem non sufficere in hac materia ad probandum priuilegium. Tum quia illa regula non procedit in consuetudine reprobata per legem, vt Rochus Curtius, & alij tractantes de consuetudine tradiderunt; tum etiam quia valde odiosum est priuilegium hoc, & difficile, ac rarè conceditur, & ideo nisi legitime probetur, non præsumitur; solus ergo vsus quantumuis antiquus, cum in facto consistat, non probat sufficienter ius, seu priuilegium. Et hanc sententiam ego satis improbaui ex multis aliis rationibus & Doctoribus in disceptatione Apologetica de Retentione Bullarum contra Salgadam resol. 12.

3. Secundo in d. c. 11. n. 38. asserit Rippol Episcopos non habere territorium in sua Diocesi, sed hæc doctrina non est admittenda. Dico igitur Episcopum habere territorium, ex text. in termin. in c. omnes Basiliæ. ibi, in cuius territorio, & c. quæstion. 7. Hostiensis in cap. cum contingat, vbi Innoc. & Ioan. Andreas de foro compet. Abbas cap. cum ab Ecclesiasticum, sub n. 10. vers. Vnum cum scias, de Off. ord. Alexand. in addit. ad Barb. in leg. pupillus. §. territorium, de verb. signif. & quia habet imperium certo loco applicatum, c. 1. de Off. ord. Bil. leg. sue pars C. de dilat. Bertr. de Ep. in 3. p. 4. libri. n. 3. idè cum habeat ius terrendi certo loco, dicitur habere territorium d. l. pupillus, §. territorium; & propterea videmus, quod laici in Ecclesia delinquentes, tanquam in territorio Episcopi delinquentes, per Episcopum puniuntur, per Afflict. in Const. Regni. in Const. incip. multa leg. sub n. 6. ad fin. & propterea cessante ratione territorij, cessat ratio supra allegata; fit enim de territorio Episcopi laicus delinquens in delictis Ecclesiasticis gloss. in Const. Item si nulla in verb. ab Eccl. C. de Episc. & Cleric. Vnde etiam colligitur responsio ad text. in c. postul. de foro compet. qui consuevit principaliter allegari pro contraria parte, vbi probatur, quòd si Episcopus in cuius Diocesi est commissum delictum, condemnauit, & priuauit Clericum beneficio, quòd in alia Diocesi habebat, non exequitur sententiam, sed Episcopus Diocesis, in qua est situm beneficium; nam illud procedit, quia cum in alia Diocesi nullam habeat potestatem, ratione territorij, prohibetur sibi talis executio, vt per Dec. in cap. pastoralis. §. quoniam. n. 3. de rescriptis. Sed si contingat executionem fieri in sua Diocesi cessat hæc prohibitio.

4. Confirmatur nostra sententia ex alio textu nempe ex cap. fin. de const. in 6. vbi Bonifacius VIII. dicit, quod statutum Episcopi contra fures non habet locum in his, qui commiserunt furtum extra eius Diocesim, & reddit rationem, quia extra territorium ius dicenti impunè non patetur, ergo Episcopus habet Territorium, & ita notat ibi Gem. in ult. not. omnis namque iurisdicção ordinaria requirit Territorium, cui cohareat, & sine eo non potest subsistere, ita Bald. in leg. si quis ex consensu. n. 9. in fine. C. de Episcopali aud. & communem opinionem esse, dicit Boër. dec. 227. & probatur in leg. fin. C. vbi, & apud quem, est enim Territorium spatium tertæ munitum iurisd. Bald. in Rubr. qua sint regalia, Dec. consil. 649. Boër. vbi supra num. 7.

5. Præterea hoc patet, quia Diocesis idem in effectu significat, quoad iurisdictionem Ecclesiasticam, quod Territorium, quoad temporalem, Ioan. And. Gem. & Doctores in cap. cum Episc. de offic. ord. in 6. Sed qui habet Territorium, habet potestatem carcerandi suos subditos, quia Territorium sonat superioritatem coërcitionis Old. consil. 176. & exequutio fit in subditos Territorij exequentis, capite Rom. §. contrahentes. de foro compet. in 6. & quod Diocesis idem

Sup. conten-
to in hoc §.
supra in ref.
8. & in aliis
c. 1. & 2.
not.

Sup. hoc in-
fra in Ref.
302. §. 1. 2. &
3. & sup. in tr.
1. ex Ref. 61.
lege doctri-
nam §. 2. &
3. & ex Ref.
64. §. 2. in fin.
§. Ad doctri-
nam, & ex
Ref. 115. §.
Probatur, &
ex Resol. 116.
§. Non valet.